

DISSERTATIO MEDICA, &c.

solis operis, ad vices morbo laborantes resti
tueretur, nihil scilicet debemus tunc
dieta magis potius convenit, et julepsa et
ita cum parvillo carnis, concedi debent. Qu
quando tota bene possit, quodammodo agerentur.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PIERCIUS M'KEOGH,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.—NEC NON SOCIET. REG. PHYSIC. SOC.,

ET

SOC. MED. OLIM HIBERN. SOC. ORDIN.

*“ Sir! all your endeavours are in vain. I feel that I shall surely die
of this complaint.”*

CRICHTON on Mental Derangement, vol. I. p. 396.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1800.



JACOBO GREGORY, M. D.

MEDICINÆ PRACTICÆ, IN ACADEMIA EDINENSI,

PROFESSORI,

VIRO

INGENII ACUMINE,

MORUM INTEGRITATE,

AC

SCIENTIA OMNIGENA,

REVERA CONSPICUO,


HANC DISSERTATIONEM,

Summâ cum observantiâ,

D. D. CQUE

AUCTOR:

NECNON



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library



NEGNON

NICHOLAO ARCHER, M. D.

DE NENAGH,

IN COMITATU TIPPERARIENSI,

MEDICO PERITISSIMO PROSPERRIMOQUE,

VIRTUTE ET ERUDITIONE PARITER INSIGNI ;

CUM OB CONSILIA ET PRÆCEPTA,

TUM OB AMICITIAM,

QUA ILLUM NUNQUAM NON DIGNATUS EST,

HOC OPUSCULUM,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

SACRUM VULT

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA

IN

INAUGURALIS

AVICTORIA AACHEN

DE

DE VITAE

DISSERTATIO

ERRATA.

Pag. 1. lin. 3. pro primarum lege primarium

— 3. — 12. — praesertim — praesertim

— 22. — 1. — abducta, — abducta,

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

PIERCIO M'KEOGH, AUCTORE.

PROPTER nexum adeo mirabilem, qui ventriculum inter et univcrsum corpus intercedit, primarum consensus organum meritò habetur. Et hoc non inepte factum, attentio vel levissima ad morbidas, quibus obicitur corpus humanum mutationes, fatis superque demonstrat.

Historia medicinæ e temporibus etiam antiquissimis, innumera protulit documenta, qui-

A

bus,

bus, commoda, ex attentione huic consensui habitâ, oriunda clare elucescant ; et sane, munere, quo fungitur ventriculus, bene perspecto, nemini mirum erit affectiones hujus organi varias, facile cum toto corpore communicari. Talem consensum, organum inter concoctioni cibi dicatum et reliquas corporis partes, suis, et his haud levis momenti usibus inservire, imprimis perspicuum est.

Morborum quibus patet ventriculus, alii, qui eum primario afficiunt, idiopathici ; dum alii, per consensum hoc organum inter et alias partes, oriundi, symptomatici merito habentur ; de his non hic locus dicendi. Ex illis dyspepsiam, tam ob frequentiam, quam ob molestissima quæ nonnunquam inducit mala, argumentum hujusce opusculi selegi.

Hanc morbi definitionem tradidit CULLENUS jure cel. : “ Anorexia, nausea, vomitus,
“ inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, ga-
“ strodynia,

“ strodynia, pauciora saltem vel plura ho-
 “ rum simul concurrentia, plerumque cum
 “ alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ip-
 “ sius, vel aliarum partium, morbo *.”

Dyspepsia omni temperamento, et sexui
 communis existit.

Symptomata, nullo definito ordine sese
 ostendunt. In diversis ægris serie admodum
 varia semet invicem excipiunt; nec ullus ordo
 excogitari potest, qui, præ aliis, praxi infer-
 viat. Tantum revera natura causæ occasio-
 nalis, habitu corporis, et presertim statu
 mentis, afficiuntur symptomata, ut morbus,
 proteo mutabilior, fixis legibus suos percur-
 rere gradus omnino recuset.

Signa tamen, ut supra tradita, quantum li-
 mites, quibus definitio circumscribi debet, fi-

A 2

nant,

* Vid. Cul. Synop. Nofol. Method. tom. II. cl. 2. ord. 2.
 gen. 45.

nant, nihil cui objici potest, me iudice habent.

Æger, imprimis, de sensu ponderis, et ventriculo moleste distento, conqueritur; dolor circa præcordia obtusus sentitur; ructus varii generis ingrati, nausea sæpe ad vomitum usque, fastidium cibi nunc accedunt; hoc symptomata si diutius persistet, alia mala haud levia inducit; et corpus, defectu nutrimenti, gradatim exhaustum, lenta denique macie conficitur. Est quando autem appetentia cibi præter modum intenditur, et æger, pro aspectu lugubri, depresso, qui sæpe hunc morbum comitatur, vultum hilarem, curis vacuum, male querelis congruentem, exhibet.

Aliquando appetitus depravatur, et desiderio rerum non esculentarum tenetur ægro-

tans.

Inflatio

Inflatis ventriculi molesta sæpe adest, quæ, flatu sursum erumpente, plerumque levatur; simul quoque, cum aëre extricato, cibus ipse, more ruminantium animalium, ad os surgit.

Doler acerbus, acutus, urens, præsertim in provectiore morbi stadio, circa regionem epigastricam, plerumque incommodum huius leve ægro facessit; per intervalla redit, subitoque iterum decedit, et sæpe ita loco fixus est, ut partem, qua dolor insidet, digito accurate monstrare queat æger. Alvus fere adstricta manet, nunc autem solito liquidior fluit; lingua mucos tenaci obducta; litis urgens, præsertim auroram versus; cutis arida, frigus artuum inferiorum; oculi squalidi, hebescentes; vultus depressus, languidus; sæpissime se comites dyspepsiæ adjungunt.

Sæpe de vertigine, visus hebetudine, tinnitu aurium, dolore capitis, ut plurimum
transversim

transversim frontem lancinante, conquiritur æger.

Ex statu pulsus nihil certi cogi potest, nisi forsan ex eo medicus judicium aliquod ferre potest, an innumera quibus ægri credunt se obsideri mala, ficta sunt; et imaginationi malis semper inherenti, debeantur. In nullo alio morbo, nexus arctissimus quo mens, et corpus, sibi invicem conjunguntur, auxiliumque vicissim præbent, clarius sese ostendit.

De hoc commercio medicus et metaphysicus haud parvi nominis agens, sequentem protulit sententiam: "The mind and body
" are so intimately connected, and have such
" an influence upon one another, that the
" constitution of either, examined apart, can
" never be thoroughly understood*."

Dyspepsia

* Vide Gregory's Comparative View of the State and Faculties of Man with those of the Animal World.

Dyspepsia laborantes multa mala sæpe sibi fingunt, quæ revera non existunt; neque ullus datur morbus, quin eo plectuntur, si quæremoniis importunis ulla sit fides. Adeo enim mens laefactatur morbo, ut ægri, malis semper inhiantes, pessima quæque ominantes, et animos contra medicinam sæpe pertinaciter obfirmantes, trillitiæ se totos dent.

Malo ingravescente, somnus vel omnino effugit, vel quies parum recreans diris infortuniis ægrum turbat. Signa morbo pedetentim in pejus ruente, quotidie graviora fiunt, corpus languet, motus etiam lenissimus exhaurit; tandem hydrops, præsertim artuum inferiorum, febris hectica, diarrhœa, et alia prænuncia haud ambigua mortis superveniunt.

Terminationes autem hujus morbi supra traditæ, raro sese ostendunt; frequentius multo dyspepsia, modo medicina apte paratur, et æger preceptis obtemperet, in salutem

tem cedit. Haud raro in longum tempus, etiam per annos integros, multum molestiæ gignens perstat.

Omnia signa jam memorata, ut cel. CULLENUS recte monuit, in eodem ægro raro, si unquam sese ostendunt; si plura eodem tempore appareant, dyspepsiam adesse optimo jure colligitur.

Antequam symptomatum molestiorum, quibus in decursu morbi plectitur ægrotans, rationem reddere aggrediar, non a re foret pauca, quæ, fana alimentorum concoctione, peraguntur, quam breviter perstrinxisse: omnia hîc perpendere, quæ de hac nobilissima functione jam detecta sunt, me a proposito toto cælo deflecteret. Cibum ore contritus, cum saliva probe commixtus, œsophago traditur, vi ejus musculari ad ventriculum deferendus; ibi per aliquod tempus detinetur, actioni succi gastrici subjicitur, qui, vi solvente haud ambigua pollens,

pollens, eum in massam mollem, fluidam, reducit; aliquantulum fermentationis quoque subesse, probabile est.

“Anorexia.” Quoniam appetentia cibi e statu succi gastrici pendet, hoc aliquo vitio peccante, anorexiam inde subsequituram haud mirum erit; causæ præterea quotquot vim ventriculi muscularem infirmant, anorexiæ originem præbeant.

“Nausea, vomitus.” Hæc symptomata, gradu forsan solum discrepantia, e motu ventriculi et œsophagi inverso oriri videntur. Causæ, quibus excitari queant, etiam variæ admodum, ad duo capita haud inepte referuntur: scilicet, quæ in ventriculum directe agunt; et quæ alias partes primum afficiunt, ventriculumque, per consensum quem egregium habet, in mali consortium rapiunt.

Ut illæ effectus suos edant, intellectu nequili-

quam difficile est ; quomodo autem hæ ventriculum morbi participem faciant, enodari haud facile potest ; hoc tamen ad consensum quem ventriculus cum aliis partibus habet, referri solet.

“ Inflatio.” Si nobiscum reputemus quam apta sit massa e carne frugibusque conflata, saliva commista, calori corporis subiecta, humore diluta, aëri inter deglutiendum assumpto denique exposita, ut in fermentationem ruat, concoctionem cibi huic tribui nemini mirum erit ; nunc autem constat succum gastricum fermentationi omnino adversari, etsi ad talem proclivitatem superandam non semper valeat ; præsertim in dyspepsia ubi cibus ut plurimum diutius solito in ventriculo male affecto detinetur, succus gastricus vitio forsan peccans ad proclivitatem hujusmodi temperandam omnino impar existit.

“ Eructatio,” ex aëre fermentatione extricato, sursum erumpente, deducenda est.

“ Ruminatio :”

“ Ruminatio :” Pars fluidior cibi aëre commista ad cardiam ascendens, eam irritat, ad motum inversum ciet, et ita huic symptomati originem forsan præbet.

“ Cardialgia,” est dolor acutus, pungens, circa cardiam rodens; e materia acri, concoctione male sana genita, oriri videtur; vel ut alii volunt, succo gastrico acri facto, cardiam irritanti, releganda est. Et sane, quid obstat quo minus credamus cardiam in dyspepsia sensum magis acutum adipisci, quo fit ut stimuli, qui, persistente sanitate, nil mali concitarint, nunc haud parum molestiæ facestant?

“ Gastrodynia,” ut Hoffmanno visum est, e spasmō, vel ventriculi atonia pendet. Hocce symptoma sensu caloris nequaquam comitatur, secus ac in cardialgia accidit. Spasmi (ut bene monuit clar. RUTHERFORD) sæpe non totum ventriculum corripiunt, sed in quibusdam tantum partibus eum

afficiunt; ubi cibus spafmo compressus, fursum pellitur*.

“Alvus adstricta.” Hæc torpori a ventriculo intestinis, propter nexum arctissimum quo hæ partes conjunguntur, communicato, referri potest; ad hoc quoque accedit quod in statu ventriculi dyspepsia inducto, cibi diutius solito in eo retinentur, quod ad hoc symptoma gignendum haud parum conferat.

“Diarrhœa,” etsi nequaquam semper in dyspepsia adest, aliquando autem infestat; e cibo remorâ acrimoniam sibi met nato, intestina subinde ad motum auctum ciente, forsan pendet.

Nunc symptomatum, quæ maxime attentionem merentur, ratione reddita, proxime agendum est, de

CAUSIS

* In Prælect. Clin. ann. 1800.

CAUSIS REMOTIS,

QUÆ sane

----- “Adeo sunt multa loquacem
“ Delasare valent Fabium.”

Omnes tamen haud inepte ad duo capita rediguntur: scilicet quæ in ventriculum recte agunt, et quæ eum per consensum afficiunt.

PRIORIS GENERIS SUNT:

1. Abusus sedantium, qualia sunt thea, coffea, liquores spirituosi, nicotiana, opium, acefcentia.
2. Liquores iusto calidiores nimis frequenter assumpti.
3. Cibi nimia ingurgitatio.
4. Vomitus frequens, vel arte concitatus, vel sponte suboriens.
5. Saliva copiosius exputa.

QUÆ

QUÆ AD POSTERIUS PERTINENT SUNT:

VITA sedentaria ; pathemata mentis ; studium nimis intensum ; venus immodica ; aër frigidus, humidus, corpori præsertim otio languenti, admotus.

In his causis enumerandis ordinem CULLENI, utpote optimum secutus sum, cui forsan nihil ullius momenti objici potest. An autem acescentia inter sedantia recte annumerentur necne, judicent peritiores.

Rationem reddere modi quo omnes hæ causæ labem ventriculo inferant, limites hujusmodi dissertationis longe excederet ; actio quarundam admodum obscura est ; pauca igitur de modo quo agunt dicenda sunt.

“ Thea ; coffea.” Experimenta Doctoris
Smith

Smith * satis luculentè probârunt infusum theæ fortiolem vi haud exigua sedante pollere. Dr Lettjomm † eandem opinionem confirmat. Effectus quoque, quos cel. CULLENUS narrat se ex usu theæ percepisse, haud ambigue demonstrant eam vi narcotica præditam esse. Hæc sunt verba: " I have a stomach very sensible, which I have found to be hurt by tea, which I attributed to the warm water; but having used some indigenous plants, I found no harm ensue; and this I have repeated above fifty times ‡." Videtur quoque theam vi quadam astringente pollere.

Quidam perhibent coffeam vim astringentem et antilepticam habere, dum alii contendunt eam effectus sedantes edere; utcunque hæc se habeant, pauci negant, quin coffea immodice assumpta, ad dyspepsiam inducendam par sit.

Dum

* De Actione Musculari.

† Lettjomm's History of the Tea-plant.

‡ Vide Cullen's Materia Medica.

Dum hæc dotes theæ, et coffeæ facile forsan concedantur, effectus aquæ calidæ cum iis affatim assumptæ, non sane despiciendi sunt; vis solvens, infirmans, qua liquores nimis calidi pollent, notissima est.

“Liquores spirituosi,” quorum abusus malis fere innumeris originem præbet, hîc optimo jure recensentur; hi corpus primum efficacissime stimulant, excitant, gratamque ægro hilaritatem conciliant, brevi duraturam, in contrarium omnino tandem defituram; debilitas quoque et languor insignis, stimulo prægresso pro rata parte respondentes, brevi superveniunt, eundemque stimulum iterum deposcunt, auctis dosibus subinde repetendum; tandem

----- “The subtle draught

“Faster and sooner swells the vital tide,

“And, with more active poison than the floods

“Of grosser crudity convey, pervades

“The far remote meanders of our frame.

“Ah! fly deceiver! branded o’er and o’er,

“Yet still believ’d! exulting o’er the wreck

“Of sober vows *!”

Opium

* Armstrong’s Art of Preserving Health.

Opium eandem vim ventriculum debilitandi, solvendi habere satis lucidè patet.

Hæ causæ, quæ alias partes primum afficiunt, vel in universum corpus agunt, debilitatem generalem inducunt, cujus ventriculus brevi fit participes.

Ex supra dictis liceat affirmare atoniam fibrarum muscularium ventriculi, vel fucci gastrici vitium, dyspepsiæ Causam Proximam habendam esse.

DIAGNOSIS. In dyspepsia admodum necessaria. Hysteria et Hypochondriasis ii existunt morbi, quibus confundi præsertim periclitantur.

Hysteria ut plurimum repente invadit, fæminis forsan propria est, globus adest, et magna urinæ limpidæ profusio paroxysmum plerumque præcedit, mens quoque alterno fletu et

rifu ludibrio est, quæ omnia in dyspepsia nunquam eveniunt.

Inter dyspepsiam et hypochondriam diagnosis stabilire multis in casibus perdifficile est; huic enim haud raro illius symptomata conjunguntur, et vice versa. CULLENUS autem opinatur hypochondriam symptomata dyspeptica semper minus violenta esse, imo aliquando deesse, dum timiditas immodica, mœror, languor, mali suspicio, semper plusminusve adsunt; dyspepsiâ vero symptomata ei propria magis fatigare, dum timiditas, tristitia, &c. aliquando desunt, aliterque quam comites adventitii estimari non debent. Anne fides observationi auctorum, nempe: Dyspepsiam plerumque temperamentum sanguineum, hypochondriam vero melancholicum adoriri, necne? judicent peritiores. Praxis hodierna tamen discrimen hocce parvi pendet, quoniam utrisque morbis sanandis remedia fere semper eadem sunt.

Quidam

Quidam chlorosin a dyspepsia fecernere necessarium duxerunt; mensibus autem deficientibus prior clare innotescit.

Podagri atonica derepente impetum acerrimum facit; hoc igitur et prægressis ægri malis a dyspepsia dignoscenda est.

Quando signa dyspepsiæ schirro pylori superveniunt, dolor magis fixus, pungens urget, pressu, vel si in latus dextrum decumbat æger, ingravescit; ingesta quoque paucis post partum horis sæpe rejiciuntur.

“PROGNOSIS” ætate ægri, vehementia et duratione symptomatum, causisque quibus inducuntur sedulo perpenſis, stabilienda est; quo junior ægrotans, quo brevior duratio et leviora signa, eo facilius in salutem cedit morbus. Dyspepsia ipsa raro lethalis, aliis tamen, et quidem gravissimis morbis, hydropi, febris hæcticæ, &c. haud raro originem præbet.

RATIO MEDENDI.

MEDENDI consilia ad tria apte referri possunt, nempe,

1. Causas remotas evitare.
2. Symptomata molesta quæ urgent levare.
3. Tonum ventriculi restituere.

Quod ad primum attinet; *causæ remotæ*, (qualescunque hæ fuerint, si agere persistent), *quam primum removendæ sunt*. Hoc utcunque simplex primo aspectu appareat, suis difficultatibus non semper caret.

Ægrum admonere de causis, quibus inducitur morbus, raro opus gratum aut facile est, quippe se, ut credit, sæpe impune his causis obtulit; obstat quoque vitæ genus parum idoneum,

neum, prava consuetudine confirmatum, obstant voluptates ipso sæpe morbo peiores. Hinc præceptis adeo ingratis obtemperare non facile adducuntur; pravæ igitur consuetudines non subito ex toto abrumpendæ sunt, sed gradatim imminuendæ, et hoc modo voluptates maxime dilectas tandem appetere desinunt.

2. *Symptomata molesta levanda sunt*; non solum primæ origini mali, quando fieri potest, strenue occurrendum est, sed symptomata, quæ sæpe haud parum molestiæ faciunt, sedulo mitiganda sunt, quorum sequentia maxime attentionem sibi vindicant.

“Anorexia, nausea, vomitus.” Hæc, ut alibi jam dictum est, varias agnoscunt causas; remedia igitur pro diversitate causarum variant oportet. Si, ut plerumque evenit, ex cibo crudo male concocto ventriculum gravante, irritante,

I. procedant,

procedant, si lingua sit fordida, muco abducta, si fitis et dolor capitis urgeant, ad emetica leniora confugiendum est. Ipecacuanha, vel chamæmeli florum infusio quam optime his symptomatibus levandis inserviunt; quoniam autem vomitus nimis frequens inter causas dyspepsiæ remotas recte accenseatur, semper cavendum est ne vomitum nimis sæpe ciedo ventriculus magis adhuc infirmetur. Si quando vomitus graviter urgeat, haud facile compescendus, haustus salini effervescentes et enemata anodyna optatos sæpe præstant effectus; aliquando materiam acrem stagnantem, deorsum purgare convenit; tunc rheum, vel aloes, adhibenda sunt. De forma qua optime assumi possunt, sæpe ambigitur; si forma solida, nil grati adjecto, assumantur nauseam excitent, brevi forsan iterum rejicienda. Remedia semper autem forma minime ingrata ægro propinanda sunt; mala autem, quæ e liquoribus spirituosis, vel aromatibus nimis libere

libere adjectis, proveniunt, non contemnenda sunt.

Profeflor olim in hac Academia digniffimus ferio filium admonuit ne liquores fpirituofos dyspepticis et præfertim fexui molliori, concederet. Hi igitur dyspepsia laborantibus, fi omnino, parciffime faltem permittendi funt.

Si quando naufea et vomitus ex exhalatione per cutem, defectu exercitationis fuppreffa, oriantur; hac reffituta, illi fummoveantur.

“Cardialgia.” Quoniam hanc affectionem moleftam ex acido nimis abundante oriri fupra pofuimus, ei igitur recte antacidis et abforbentibus, fcilicet, ammonia, creta, magnesia ufta, occurritur.

“Gastrodynia,” fi e fpafmo pendeat, anti-fpomodica præ omnibus conveniunt, et hæc

fane :

fane : opium, æther, affafoetida, &c. remedia efficaciffima merito habentur.

“Alvus adftricta.” E nexu admodum arcto, quo ventriculus et inteflina conjunguntur, illo male affecto, fi hæc in confenfum rapiantur, caufa in promptu eft. Levatio hujus fymptomatis, fi ventriculus admodum lædatur, per clysmata emollientia molienda eft ; fin autem ftomachus ferat, laxantia leniora, ut magnesia, rheum, feperatim, vel conjuncta antiponenda funt.

Alia fymptomata non ita urgent, ut aliquid fibi proprium poftulent.

“Inflatio” autem quæ sæpe molefte adefl, carminativis et cardiacis, lenienda eft ; olea stillititia menthæ piperitidis, nucis moschatae, anifi, fimiliaque optime conveniunt. Prava autem confuetudo ad aliquid grate ftimulans, propter leviffimam moleftiam, femper confugiendi, non
nimis

nimis reprobari potest. Hinc liquorum spirituosorum abusus perditissimus, quotidie ingravescens, tandem labem gravissimam ventriculo et toti corpori allaturus.

Hic obiter observandum est, remedia quæ adversus unum symptoma valent, aliis quoque sæpe efficaciter opitulari; hujus generis est *magnesia*, quæ non solum acori fortiter oppugnat, sed cum eo salem laxantem generat, alvumque compressam solvit. Eodem modo medicamenta ex *alve* non solum alvum laxant, sed etiam ventriculum roborant.

Si diarrhœa cum acore conjuncta sit, creta utrisque feliciter occurrit; salem astringentem cum acido ventriculi format, quo diarrhœa feliciter sæpe subvenitur.

Proximum consilium est *tonum ventriculi restituere*.

D

Ad

Ad hoc etiam ab initio respiciendum est : et semper cavendum ne remedia ad signa levanda adhibita, huic obstant. Parum enim proficitur, si non causis, unde profluxerunt symptomata, sedulo occurratur. Remedia quæ huic consilio conveniunt, satis apte ad duo genera referuntur : scilicet ad ea quæ effectus suos in ventriculum directe exercent ; et ea, quæ, totum corpus corroborando, tonum ei quoque impertiunt.

Ad primum genus pertinent roborantia et stimulantia. Quod ad roborantia attinet : hinc notari debet, ea, si nimis diu adhibita fuerint, effectus solitos non præstare, sed pro roborante, qua modice assumpta pollent, vim infirmitatem haud dubie ostendunt. An hoc vi narcoticæ, ut CULLENO persuasum est, tribuendum sit, an alii et adhuc prorsus ignotæ causæ referendum, statuere non meum est.

Inter roborantia, “ amara,” ut gentiana, columba, quassia, flores chamæmeli, optimo
merito

merito habentur. Cinchona quoque huic usui quam optimè inservit. Aquæ ferratæ multum laudatæ fuerunt ; sed, Professore Chemiæ in hac alma Academia, in prælectionibus suis eximii monente, propria quoque experientia suadente, adducor ut credam e ferro arte præparata haud minus valere, etiam in multis casibus meliores effectus præstare. Horum quoque, prout res postulet, vires intendi imminuive queant ; neque sane boni effectus, qui ex aquis mineralibus proveniunt, ferro, quod sæpe quantitate admodum parca continent, omnino tribuendi sunt ; juvet grata mentis occupatio, juvent quoque alacritas animi, jucundum vitæ genus, et spes meliorum, quæ itinera hujusmodi facientibus plerumque contingunt. Stimulantia varii generis in usum revocata fuerunt ; etsi tamen symptomata ad tempus mitigent, ad morbum radicitus tollendum parum accommodata existunt. Stimulus, quem corpori dant, fugax est, et si diutius usurpata fuerunt, pro robore debilitatem certissime

comparabunt. Eminent quoque inter causas morbi remotas, quod sane usum eorum in dyspepsia plane prohibet.

E salibus neutris, si adfit torpor ventriculi et intestinorum, aliquid boni forsan sperandum est.

Ad remedia, quæ, universum corpus roborando, malo ventriculi occurrunt, tandem perventum est. Hujusmodi sunt exercitatio, frigus ritè adhibitum, regimen idoneum.

De his paulo fufius agere forsan non abs re foret; virtutes eximias quibus pollent nemo non facile agnoscat; non magis propter simplicitatem, quam vim, qua in morbis, præsertim chronicis, debellandis, prædita sunt, laudari merenter.

Quicumque sane innumera fere commoda, quæ, ex exercitio idoneo sub pleno jove, et e vitæ genere temperato, profluunt; quicumque

vim

vim quam menti, firmitatem quam corpori conciliant, expertus est, probe sentiet, quam strenue dyspepticiis suadenda sint; neque minima commoda e vestitu idoneo saltem in hac regione mutabili, proveniant.

Nil exercitatione præstantius est ad vires morbo fractas reficiendas: “ Omnis exercitatio
“ atque gestatio, sub pleno jove, et in aëre
“ puro, et sicco, et frigidulo, fieri debet. Bo-
“ nus enim aër ipse inter efficacissima roboran-
“ tia remedia jure habetur*.” Exercitatio præsertim laudatur, si exhalatio per cutem deficiat; sanguinis circuitum æqualiter per totum corpus promovet. In ambulatione, quia tunc artus inferiores maxime exercentur, sanguis per eas partes liberius movetur; et igitur præsertim utenda est cum artus torpescunt, vel frigescunt. Quando propter debilitatem ad gestationem confugiendum est (nam ambulatio si modo æger ad eam valcat, semper anteponenda)

* Conspect. Med. Theor. tom. II. sect. 1117.

teponenda) equitatio præ gestatione in curru usurpari debet. In omni enim exercitatione, quo plures muscoli ad actionem cientur, eo meliores præstat effectus; et quod non levis momenti est, æger in equitatione liberius aëri objicitur: “Purus præterea aër corpus
 “reficit atque refrigerat, vires fortasse multum
 “labefactas confirmat, cibi appetitum et con-
 “coctionem juvat *.” Huxhamus affirmat equitationem ad morbos viscerum abdominalium sanandos præstantissimum esse remedium †.

Quidam navigationem multum laudarunt, utpote dyspepticis optime accommodatam; aliis autem gestationis modis certe cedit; et igitur, fere semper iis posthabenda est. In exercitatione omnigena, hoc in animo semper tenendum est, eam maximo cum beneficio adhiberi, cum non solum corpus probe exerceat, sed
 mentem

* *Conspect. Med. Theor.* tom. II. sect. 1038.

† *Huxham. Opusc. de morbo Colico Damnoniorum*, p. 33.

mentem quoque gratè detineat. Hinc venatùs et aucupii amor ægrum a solitis curis, quæ malum sæpe multum augeant, clam subducit. Commodi ex hoc oriundi exemplum protulit CULLENUS; sic enim habet: “ In one instance, “ a person who had found no relief from ta- “ king exercise in a chariot, was much bene- “ fited by being put into a single-horse chaise, “ which required some attention from him to “ guide it *.” Hoc forsàn fundamento, saltem ex parte, mutationis cœli, et aquarum medicinalium nititur virtus tantum jaclata. Dum animus negotiis infixus morbum sæpe haud parum intendit, mala haud leviora e desidia et laboris lenis evitatione proveniunt; grate et leviter detinendus est animus, non otio languenti tradendus, ut cum Cancellario King, “ Labor ipse voluptas,” exclamet ægrotans:

“ He chooses best, whose labour entertains

“ His vacant fancy most; the toil you hate,

“ Fatigues you soon, and scarce improves your limbs †.”

Quod

* Cullen's Clinical Lectures, p. 81.

† Armstrong's Art of Preserving Health.

Quod ad diætam attinet levis esse debet, minime acescens, et concoctu facilis, parva quantitate singulis vicibus assumi debet; hoc modo, ne æger ventriculum nocivo onere gravet, melius præcavetur. Cibi leviores, ut caro agnina, vel vervecina vel juscula ex iis confecta, melius conveniunt; carnes quoque avium sæpe gratæ sunt, et tuto concedantur. Hæ simpliciter assæ vel elixæ, quam illecebris coquinariæ corruptæ potius concedendæ sunt; oleosa, fumis, sale, vel aromatibus condita semper deneganda sunt. Vegetabilia utpote ad fermentescendum procliviora et inflationem ventriculi sæpe scientia, parce omnino assumi debent.

Pro potu aqua omnibus aliis palmam facile præripit. Natura enim hic, ut in aliis sponte suggerit, quod humana industria superare frustra aggressa est. Plerumque autem aliquid meracius convenit; et aliquantulum vini tenuioris, vel etiam spiritus distillati, cum aqua

probe

probe dilutum, caute concedi possit. Lique-
res omnes fermentati evitandi sunt. Vestitus
dyspepti-
corum attentionem haud levem vindi-
cat. Talis esse debet, qui ad superficiem cor-
poris sanguinem libere promoveat, exhalatio-
nemque per cutem rite sustineat.

In hac regione mutabili præsidium sanitatis
in idoneis vestimentis sæpe positum est; ad ea
quæ calorem optime retinent, claro Rumford
viam monstrante, dirigimur. “ Nulla (enim)
“ res sanitati magis detrimentum affert, quam
“ subita aëris, præsertim calidi in frigidum,
“ et frigidi in calidum, mutatio*.” Vesti-
menta lanea, præsertim indusium laneum, op-
timos sæpe edunt effectus; non solum humo-
rem e corpore exhalatum absorbet, sed calo-
rem fere equalem servat. Van Swietenii ob-
servatio huc quoque spectat. En verba! “ Si
“ nudum corpus tangant vestes laneæ, ab omni
“ corporis motu frictionis species excitatur, quæ
E “ insigniter

* Hoffmannus.

“ insigniter prodest.” Quidam usui lanei ad-
 versantur, propter malos effectus, quos, ex eo
 æstate exuto, oriri credunt; forsan regula Boer-
 haavii strictiùs solito observanda est, qua mo-
 net, ut ad medium æstivum deponantur, proxi-
 mo die iterum induendæ vestitus hiemales.
 Rumford. cel. de hoc differens dixit: “ It is
 “ a mistaken notion, that flannel is too warm
 “ a cloathing for summer. I have worn it in
 “ the hottest climates, and in all seasons of
 “ the year, and never found the least incon-
 “ venience from it. It is the warm-bath of a
 “ perspiration, confined by a linen shirt, wet
 “ with sweat, which renders the summer-heats
 “ of southern latitudes so insupportable, but
 “ flannel promotes and favours its evapora-
 “ tion *.”

Si aliquid boni e medicamentis sperandum
 est, vitæ genus idoneum, intemperantiæ ne-
 quaquam deditum, adjuvet oportet; fin-
 minus,

* Philos. Transf. vol. LXXVII.

minus, remedia etiam efficacissima parum valebunt: "Sensuality and intemperance subject men to diseases, pain, shame, deformity, filthiness, and anxiety; whereas, temperance is attended with ease of body, freedom of spirits, the capacity of being pleased with objects of pleasure, good opinion of others, perfection of faculties bodily and mental, long life, plenty *," &c.

" 'Tis to thy rules, O Temperance! we owe
 " All pleasure which from health or strength can flow,
 " Vigour of body, purity of mind,
 " Unclouded reason, sentiment refin'd."

Pro remedio roborante balneum frigidum diu et merito laudatum fuit. Et sane dyspepticis, præsertim propter consensum superficiem corporis inter et ventriculum, remedium paratissimum jure habetur; mentem hilarem reddit, cutem laxat, tonum musculis, vigorem toti corpori conciliat.

* Priestley on Hartley's Theory, prop. xliv. p. 233.

